



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Titulus XXVIII. De clerico non ordinato ministrante.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74544)

prohibitus est, ut probat Suarez *ubi proxime*. Unde ut quis irregularis efficiatur, oportet quod sit suspensus ab aliquo actu, qui ad aliquem ordinem pertineat, ut ex *cap. is qui 18 §. ult. ibi*, *Celebrat: cap. is cui 20. ibi*, *In suo agens officio: de sent. excom. lib. 6* probant Covarr. Hugolinus & Alterius *ubi supra*: at qui minori excommunicatione ligatus celebrans non peccat propter administrationem ordinis, quia minor excommunicatio non suspendit ab aliquo actu ordinis ecclesiastici; sed peccat propter solam suspensionem sacramenti, quæ ad aliquem actum ordinis non pertinet, & perinde peccat, atque peccaret laicus sacramenta recipiendo. Igitur celebrando cum minori excommunicatione nullius irregularitatis notam incurrit. Nec interest, quod minori excommunicatione ligatus celebrando graviter peccet, quia hoc non sufficit, ut fiat irregularis, quia cum irregularitas proveniat à jure canonico, non est aliquis iudicandus irregularis, nisi ubi hoc invenitur expresse, *cap. is cui, de sent. excom. lib. 6*. Suarez *disp. 24. sect. 2. num. 3. & disput. 40. sect. 4. numer. 12*. Quapropter cum ob peccatum hoc non sit statuta in jure irregularitas, non est illa qui ita peccaverit, puniendus, sed arbitrio sui Prælati, cum certa pœna in jure non statuatur, ut argumento textus in *cap. de causi 4. §. final. de offic. deleg. cap. tempora 16. quest. 7. l. 1. ff. de jure delib.* probat Glossa 1. in *presenti*, quam sequuntur Hostiensis *num. 2*. Hugolin. *de censur. tabul. 3. cap. 8. num. 1*. Alter. *eod. tract. disput. 4. cap. 2. §. quæret aliquis*. Suarez *eod. tract. disput. 24. sect. 2. num. 3*. Alia causa est ejus, qui cum esset majori excommunicatione ligatus, celebravit; hic namque erit irregularis, quia major excommunicatio includit suspensionem ordinis; quia quamvis sit censura distincta à suspensione, attamen quoad effectum suspendendi habet eandem efficaciam cum ea, ut probat Suarez. *disp. 11. sect. 3. num. 3*. & idè quia ligatus majori excommunicatione celebrando attentat officia sibi

interdicta, irregularis efficitur, ut latè probavi in *cap. 4. hoc tit.* Hinc quia minor excommunicatio privat tantum passiva susceptione sacramentorum, quæ non tendit ad ordinem ecclesiasticum, non est verè, & propriè suspensio, nec taliter excommunicatus dici potest suspensus; quia vera suspensio non consistit in privatione passiva, sed aliarum functionum ecclesiasticarum, ut probat Suarez *de censur. disput. 25. sect. 1. num. 4*. Est enim censura ecclesiastica, quæ minister Ecclesiæ impeditur, ne divina officia celebret, aliquæ ecclesiastica potestate utatur: quare ligatus minori excommunicatione, quia verè & propriè non est suspensus, celebrando non fit irregularis, & eligere poterit juxta hunc textum: non ita verè, & propriè suspensus, quia hoc celebrando irregularis efficitur, *cap. 1. de re judic. lib. 6. nec eligere valet, d. cap. cum n. ver. de elect.* quia non potest ecclesiastica munera obire. Unde etiam fit, quod quamvis admittamus peccatum mortale committere eum, qui communicat cum excommunicatione ligato, & per consequens suspensum manere quoad se; attamen hæc suspensio non est sufficiens ad irregularitatem incurrendam, *cap. final. de cohabit. cleric. ex quo ita docuerunt Innoc. in present. n. 2. Hostiens. n. 5. Antonius n. 12. Panormitanus n. 4. Ancharanus n. 9. Nec obstat textus in d. c. Presbyter 5. n. quest. 3. pro contraria sententia adductus, qui loquitur de clerico majori excommunicatione ligato; & docetur, quod si ipse in contemptum superioris sacrificium Missæ celebraverit ut schismaticus aliud altare erigendo, locum amittat, id est irregularis maneat, & anathema ei dicatur. Nec novum est, ut excommunicatus majori excommunicatione anathematizetur, *cap. Engeltrudam, quest. 4. cap. cum non ab homine. c. ubi probavi, de judicis*: & ita textus in *dict. cap. Presbyter*, accipiendus est de clerico excommunicato majori excommunicatione, de quo etiam accipiendi sunt alii canones supra relati.*

TITULUS XXVIII.

De clerico non ordinato ministrante.

CAPUT PRIMUM.

^a Hormisda Papa.

Siquis ^b quis ^c baptizaverit, aut aliquod ^d divinum officium exercuerit non ordinatus, propter temeritatem ^e abjiciatur de Ecclesia, & nunquam ordinetur.

NOTÆ.

^a *Hormisda.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap. 1.* licet Glossa marginalis legat *Honorius*. Sanctus Hormisda, natione Campanus, patriâ Frufinus, electus fuit Summus Pontifex die *x x v i. Novemb. an-*

no 514. Scripsit varias epistolas, ex quibus nonnulla fragmenta extant apud Gratianum, & Carotenensem; & ex eis forsân textus præsens transcriptus est. Alia de ipso Pontifice referunt Baronius, & Coriolanus *d. anno 514.* Jacob à sancto Carolo in *Bibliothec. Pontificia*, & nos in *cap. 1. de despons. impub.*

^b *Si*

b *Si quis.*] Clericus videlicet in minoribus Ordinibus constitutus, ut ita conveniat præfenti titulo de Clerico non ordinato, licet hæc rubrica in prima collectione tantum habeatur de non ordinato ministrante: sed Raymuadus respiciens auctoritates sub hoc titulo compilatas tantum agere de Clericis ministrantibus in gradu, quem non habebant, idem rectè auctoritate Gregorii IX. adjecit, *de Clerico*: unde plures deducunt, laicum solenniter baptizantem, aut sacramentaliter absolventem, non fieri irregularem, ut docuerunt Angelus *verbo Irregularitas, num. 31.* Rossella *ead. verbo num. 2.* Armilla *num. 65.* Sà *num. 5.* Henriquez *lib. 2. cap. 29. num. 5.* Sayrus *de censur. lib. 7. cap. 10. num. 6.* Layman *lib. 1. summa, tract. 5. p. 5. cap. 3. num. 3.* Bonacin. *de irregul. disp. 3. qu. 3. punct. 6. num. 1.* plures relati à Barboza in *præfenti, num. 5.* quibus adde Gibalinum *de irregul. cap. 5. confect. 1.* Dianam *p. 4. tract. 2. resol. 77. & 91.* Cornetium *in 3. p. tract. de irregul. disp. 7. dub. 291.* ea ratione moti, quia nullibi reperitur hæc irregularitas statuta contra laicum; siquidem in *cap. 2. hoc titul.* agitur de Diacono Missam celebrante: in hoc autem textu facile deducitur, agi de Clericis in minoribus Ordinibus constitutis solenniter baptizantibus; licet cum integra hæc epistola careamus, id aperte probare non possumus. Contrariam tamen sententiam, videlicet laicum solenniter baptizantem irregularem contrahere, satis probabiliter tenuerunt Starez *3. p. in 3. p. disp. 3. sect. 4.* Paludanus *in 4. distin. 5. sect. 1. conclus. 2.* Valentia *tom. 4. disput. 4. quest. 2. punct. 1.* alii, quos refert, & sequitur Leander *de irregul. tract. 2. disput. 20. qu. 7.* Avila *de censur. p. 7. disp. 2. sect. 2. dub. 13.* utramque opinionem probabilem, sed primam probabiliorem dicit Prado *de Sacram. to. 1. qu. 67. dub. 1.*

c *Baptizaverit.*] Solenniter videlicet; quod tantum facere possunt ut ordinarii ministri, Episcopi, & Parochi, ut probavi in Canone 38. Concilii Illiber. velle delegatione, ut Diaconi, ut probavi in Canone 77. ejusdem Concilii; nam privatim, & tempore necessitatis, non solum Clerici in minoribus Ordinibus constituti, verum etiam laici possunt baptizare, ut probavi in *d. can. 38. Concilii Illiber.* & statim dicemus.

d *Divinum officium.*] Undè aliqui asserunt, administrantem Sacramenta, etiam non ordinatum, irregularem non fieri, quia appellatione divinorum officiorum Sacramenta non continentur. Sed contrarium verius est; nam qui administrat Sacramentum non ordinatus, irregularetur, ut de baptizante solenniter docetur in præfenti textu, & de Missam celebrante in sequenti, & de aliis Sacramentis probat Gibalinus *de irregul. cap. 5. p. 2. confect. 2.* & non improprie divinorum officiorum appellatione Sacramenta continentur, ut ipse Gibalinus probat. Unde Sacerdos administrans confirmationem, irregularis manet. Avila *ubi supra*: exercentes verò officia minorum Ordinum, etiam solenniter, nullam irregularitatem contrahunt. Vgolinus *de irregul. cap. 37.*

e *Abjiciatur.*] Id est ab omni prorsus communiōne Ecclesiastica pellatur, ut in *can. 51. Apostolor. Concil. Laodic. can. 36. Tolet. 4. can. 58. Meldense can. 73.* Illustart Morinus *lib. 2. exercit. cap. 26.*

Cum nemo seipsum baptizare possit, *cap. debitum 4. de baptismo, D. Thomas 3. p. qu. 66. arti. 5. ad 4.* sicut nec absolvere à peccatis, *cap. didicimus 24. qu. 1.* aut ad beneficium præferre, *cap. final. de insti. Jul. Lavor. variar. titul. 4. cap. 6. num. 18.* quia debet dari distinctio realis inter dantem, & accipientem, *l. jus dandi, §. Prætor ff. de tutor. & curat.* ideo Baptismum susceptorus eget ministro, qui illum sibi conferat: licet enim Sacramentum, Euchariſtiæ sibi ipsi quis ministrare possit, ut in Sacerdote celebrante contingit, immò & olim non solum viri, verum & feminae suis manibus Sacram Euchariſtiam sumebant; Concilium Altiſſiod. *can. 36.* ibi: *Non licet mulieri nuda manu: hac tamen differentiâ servarâ, ut viri nudis manibus in formam crucis appositis eam acciperent, mulieres verò nudis manibus, sed supposito linteo, sexta Synodus Trullana, ibi: Si quis immaculati Corporis in synaxis tempore esse participes voluerit, etiam antequam ejus fiat communio, manus in crucis formam figurans sic accedat, & gratia communionem accipiat.* Cyrillus Hierosolym. *catech. 5.* ibi: *Accedens autem ad communionem, non expansis manuum volis accede, nec cum disjunctis digitis, sed sinistram velius sedem quandam subicias dextera, qua Regem suscipitur est, & concava manu suscipe Corpus Christi.* D. Augustinus *sermone 25.* ibi: *Omnes mulieres exhibeant nitida lineamina, ubi Corpus Christi accipiant.* Rationem expreflit Sanctus Basilius *epist. 289.* *Quoniam per tempora illa persecutionum cogebantur homines necessario sacerdote, vel ministro non presente propriis manibus percipere communionem, non est nisi supervacuum ut demonstrarem, illam ipsam rem non esse graviter & inique ferendam, eo quod inveterata consuetudo hoc ipsum re ipsa confirmatum dederat; nam & illi omnes, qui per eremos vitam monasticam instituunt, ubi copia non suppetit Sacerdotis, cum habeant domi, de suis manibus illam percipiunt.* Synodus 6. *can. 101.* Gregorius Nazianz apud Novarinum *lib. 5. cap. 63. in Agn. Euchariſt. & sequenti: notantur Menardus in notis ad Sacram. D. Gregorii, fol. 391.* Vicecomes *volum. 4. de ritibus Missæ, lib. 7. cap. 11.* Bulengerus *ad Casaubon. diatrib. 3. pag. 218.* Christ. Lupus *ad can. 101. Synod. 6.* Et similiter matrimonium contrahentes, simul ministri, & susceptores sint illius Sacramenti, ita ut unusquisque minister sit partialis, & ambo faciant unum ministrum totalem; atque sint causæ physice, seu morales gratiæ, ut probant Basilius *lib. 1. de matrim. c. 3.* Trullench. *eod. tract. cap. 5. dub. 7.* Nihilominus in Baptismi Sacramento distinctus debet esse minister à subiecto; tum propter factum, & præceptum Christi Domini, qui non à se ipso, sed à Joanne baptizari voluit, *cap. 3. Matthæi; & jussit Apostolis apud eundem: Ite, baptizate omnes gentes; ostendens alium debere esse qui baptizatur, alium qui baptizat: tum quia baptismus se habet ad instar generationis corporalis, cap. regenerante, cap. regenerabuntur, de consecr. distin. 4.* Trident. *Sess. 24. de reformat. cap. 2.* sed in generatione duo concurrunt, alius qui gignit, & alius qui generatur: igitur similiter in baptismo, ut arguebat Pontifex in *cap. debitum, de baptismo; & notavit Turriscrem. in cap. in necessitate, de consecrat. dist. 4.*

6. Circa ministrum Sacramenti Baptismi duplex inspectio occurrit, alia circa ministrum, qui validè illum conferre valet; alia circa illum, qui ratione officii, aut delegationis potest non solum validè, verùm & solenniter illum administrare. Circa primâ, rejectâ sententiâ Calvini existimantis baptismum collatum ab aliis, quàm à ministris Ecclesiæ, nullum esse, quam feliciter refellit Bellarminus lib. 1. de baptismo, cap. 7. certum est, baptismum sub legitima forma collatum à quocunque, sive baptizato, sive Pagano, Judæo, vel hæretico, viro, sive fœmina, ratum esse, ut definitum legimus in cap. 1. §. una verò, de summa Trinit. Concil. Florent. in Decreto fidei, §. primum; & sigillatim de laicis baptizantibus, cap. in necessitate 21. cap. sanctum 36. de consecr. dist. 4. cap. diaconos, 95. dist. cap. ad limina 30. qu. 1. probant Cæsar de Eccles. Hierarch. disput. 8. §. 2. num. 21. unde D. Petrus dum adhuc sacris Ordinibus initiatus non esset, baptizavit sanctum Andream, & filios Zebedæi: & ipsi dum laici adhuc essent, cæteros Apostolos baptizarunt, ut refert Baronius to. 1. anno 11. & baptismum collatum à D. Athanasio adhuc puero, postea Episcopo Alexandrino, probavit Ecclesia, ut post Rufinum narrat. Baronius anno 311. Fœminas etiam validè baptizare probat Urbanus Papa in cap. super quibus, ibi: Fœmina puerum baptizavit, 30. qu. 3. De Paganis, & Judæis idem probant Ilidorus in cap. Romanus 23. ibi: Licet Paganus sit qui baptizat. Nicolaus in cap. à quodam Iudeo, Augustinus in cap. soler, de consecr. dist. 4. Idem de hæreticis docetur in cap. ostenditur. c. aliud, c. nullus, c. sive 51. de consecr. dist. 4. Concil. Nicæno can. 19. Trident. sess. 7. de Sacra. cap. 4. D. Augustin. lib. 6. de baptismo, cap. 25. & ab aliis Patribus congestis à Baronio anno 217. & 258. Pamelius in notis ad epist. 73. D. Cypriani, num. 27. & prædictam doctrinam defendunt Suarez, Vasquez, & alii ad D. Thomam 3. p. qu. 66. art. 3. Sententiarum cum Magistro in 4. dist. 5. Summistæ relati à Leandro tom. 1. de sacram. disput. 4. quest. 14. Trullench. de baptismo. lib. 2. cap. 1.

7. Verùm hæc veritas Catholica difficilis redditur sequentibus argumentis. Primum ex eo nascitur, nam in quolibet Sacramento Christus Dominus designavit in sua intentione materiam, & formam, & ministrum: sed in baptismi institutione tantum designavit Apostolos, & eorum successores Episcopos ministros hujus Sacramenti, dum dixit: *Euntes baptizate omnes gentes.* Joannis cap. 20. Matthæi cap. ult. Ergo alii quàm Episcopi non possunt conferre hoc Sacramentum. Quam considerationem firmat D. Ilidorus lib. 2. de officiis, cap. 33. relatus à Carnotensi p. 1. decret. cap. 66. in illis verbis: *Illud, quod nec privatis, nec Clericis baptizare licebat, nisi tantum Sacerdotibus, in Evangelio tantum legimus Apostolis permissum.* Secunda difficultas oritur ex eo; nam si laicis permitteretur baptizare, maximè propter necessitatem hujus Sacramenti, ut considerant Doctores suprâ citati. Sed hæc ratio est insufficientis. Igitur laici nec in necessitate baptizare valent. Probat minor, nam Sacramentum penitentiae æquè necessarium est post peccatum actuale, ac baptismus propter peccatum originale: sed etiam necessitate existente laicus à peccatis absolvere nequit, cap. verbum, de penit. dist. 1. Glossa in cap. pastoralis, & in cap. præterea, de officio ordin. notavi in cap. 2. de furtis: ergo nec baptizare. Tertia difficultas ex eo provenit, nam juxta dictam rationem tan-

tum evincitur, in extrema necessitate posse laicum baptismum conferre; quod & doceri videtur in Concilio Florentino dist. §. Primum, in illis verbis: *In casu autem necessitatis non solum Sacerdos, vel Diaconus, verùm etiam laicus, vel mulier baptizare potest.* Et cap. Diaconos, 93. dist. cap. mulier, de consecr. dist. 4. cap. ad limina 30. qu. 5. ibi: *Nam hoc opus baptizandi laicis fidelibus juxta à canonicam auctoritatem, si necesse fuerit, accere conceditur.* D. Hieronymo in dialogo contra Luciferanos, ibi: *Baptizare si necesse cogas, scimus etiam licere laicis.* D. Ilidoro lib. 2. de officiis, cap. 24. Gelasio epist. 1. Ergo extrâ necessitatis casum laici validè conferre nequeunt baptismum. Etiam quod de fœminis dicebamus, difficile redditur ex Concilio Carthag. 4. can. 100. ibi: *Mulier baptizare non presumat.* Refertur à Carnotensi 1. p. Decreti, cap. 65. Etiam quod de Paganis dicebamus, impugnari potest hoc ratiocinio; nam nemo potest dare quod non habet, cap. nulla 62. cap. gratia 1. qu. 1. cap. quomodo, de consecr. dist. 4. Sed Pagani adhuc baptismum non susceperunt: ergo non possunt aliis conferre. Baptismus enim est Sacramentum fidei: quomodo ergo qui nunquam fidem professus fuit, illam aliis communicare potest. Fulcitur hæc difficultas ex cap. quos à Paganis, de consecr. dist. 4. cap. si quis per ignorantiam 1. qu. 1. ubi à Paganis baptizati jubentur rebaptizari: unde D. Augustinus lib. 2. contra litteras Parmen. cap. 13. multum dubitat de baptismo à non baptizatis collato. Tandem quod dicebamus, hæreticos validè baptizare, falsum videtur, siquidem baptismum ab hæreticis collatum respuit, & damnat Ecclesia, ut baptismum Paulianistarum, & Cataphrygum in Synodo Nicæna 2. can. 7. Laodic. can. 8. sexta generali can. 95. septima can. 7. notârunt Baronius anno 258. Cæsar disput. 1. §. 4.

8. Adhuc tamen defendenda est suprâ tradita doctrina, quam post nuper laudatos doctè, & eru ditè probat Andreas Saufay in Panoplia sacerdotali duntaxat lib. 5. cap. 3. cum sequent. Nec obstat, quod de institutione hujus Sacramenti expendebamus; nam præterquam quod non constat, eo tempore, quo Christus Dominus noster jussit Apostolis ire in univèrsum mundum, ac baptizare, præsentem tantum fuisse Apostolos, immò facile credi potest alios plurimos adfuisse: dicendum est, Apostolos ipsos declarasse præceptum illud, affociando alios, ut Stephanum & Philippum, ad idem ministerium prædicandi, & baptizandi; unde depro-mittitur, ex præcepto divino non solum Episcopos fuisse designatos ministros hujus Sacramenti, verùm & alios in Ecclesiastico gradu constitutos. Nec contrarium probat D. Ilidorus, quia accipiendus est sanctus Doctor de baptismo solenniter conferendo, qui tantum à Presbyteris ratione proprii officii administrati valet. Nec secundum argumentum refragatur, cui ut satisfaciunt Doctores suprâ relati, anxie quærunt differentiam rationem, quare laici urgente necessitate possint validè, & ritè Sacramentum Baptismi administrare, cæteraque Sacramenta, etiam urgente necessitate non possint conferre: & vera ratio petenda est ex necessitate Sacramenti baptismi; cum enim hoc Sacramentum simpliciter necessarium sit, ad salutem animæ congrue institutum fuit, ut à quolibet viatore, & cum materia ita vulgari, ut est aqua, possit administrari: penitentiam autem

autem Sacramentum non ita necessarium est, cum per contritionem possit suppleri ejus defectus, & cum ea poenitens se salvare. Quam rationem post alios probat Cæsar de ecclesiastica hierarch. disp. 8. § 1. num. 11. nec tertia objectio adverfatur, verum enim est, etiam extra tempus necessitatis laicos validè posse hoc Sacramentum administrare, dicto cap. à quodam Iudeo, D. Augustin. lib. 2. contra Parmen. cap. 13. & 19. ibi: Sed etsi nulla usurperetur, & à quovis cuilibet detur, quod datum fuerit, non potest dici non datum, quamvis dici possit illicitè datum. Terullianus de baptismo, ibi: Alioquin & laicis jus est baptizandi; quod enim ex equo accipitur, ex equo dari potest. Neque textus in contrarium adducti contrarium probant, nam licet loquantur de baptismo collato à laicis in casu necessitatis, idem intelligitur definitum extra necessitatem, quod atinet ad valorem sacramenti; quoniam in Sacramentis pro varietate temporum diversimodè non dantur, ut latè probat Vasquez tom. 2. in 3. p. disput. 129. cap. 2. ideo autem Patres casum necessitatis tantum expresseferunt, ut simul ostenderent ea urgente non solum quemcumque viatorem posse validè, & cum effectu conferre hoc Sacramentum, verum & ritè, licitèque ministrari: quod non procedit extra tempus necessitatis, quia tunc laici baptizantes, etsi valide, non tamen licitè hoc Sacramentum conferunt. Nec obstat canon. 100. Concilii Carthag. procedit enim in baptismo collato eo tempore, quo nulla necessitas adest, aut ea urgente est copia Presbyteri, aut alterius ministri; tunc enim mulier baptizare nequit; si autem baptismum de facto conferat, non negant Patres; validè, & cum effectu collatum esse: quo modo etiam accipiendi sunt Tertul. & Eppiphanius, relati à Bellarmino d. c. 7. Nec obstat quod de baptismo à Paganis collato expendebamus; nam effectus hujus Sacramenti, sicut aliorum, non provenit ex bonitate, seu malitia ministri, nec ille est qui gratiam, aut fidem confert, sed virtute Sacramenti ex opere operato Sacramenta effectum sortiuntur; unde Pagani, seu Judæi, validè baptismum conferunt, quia nihil de suo largiuntur. Hoc tamen procedit si baptismus ab illis ministraretur sub præscripta, & debita forma, non verò si sub alia conferatur; quia tunc baptismus ex defectu formæ invalidè confertur, cap. Ecclesiis, 68. dist. undè Pontifex in dist. cap. quos à Paganis, & similibus, non jubet à paganis baptizatos, iterum baptizari, quia à paganis baptizati sunt, sed quia baptizati non fuerunt sub debita forma: & securius esse, ac tutius baptizatos à paganis semper sub conditione iterum baptizari, docuere Andreas Saulay in Panopl. sacerdotali, lib. 5. cap. 11. Diana p. 10. tract. 18. resol. 29. Nec obstat textus in d. cap. si quis per ignorantiam, qui duas partes continet, quarum prima non repetitur inter opera D. Isidori; seunda verò etiam refertur in cap. Romanus, de consecrat. dist. 4. & si adhuc admittamus verba prioris partis ipsius textus esse D. Isidori, legenda sunt interrogativè, non assertivè, usque ad illa verba, non ordinatur: ut tunc sequatur responsum ipsius S. Doctoris per illa, Romanus Pontifex, &c. Nec dissimili scissurâ mederi potest textus in cap. 1. de Presbytero non baptizato, ut in ejus commentario jam observavi. Tandem nec quod dicebamus de baptismo Paulianistarum, obstat; licet enim temporibus Stephani Papæ I. per annos 258. in Ec-

clesia præcipuè Orientali valde agitata esset questio, an reversi ab hæreticis deberent rebaptizari, si ab ipsis essent baptizati, affirmante D. Cypriano cum aliis Episcopis eximie doctrinæ, & virtutis, ut constat ex epist. 71. 72. & 75. ejusdem Sancti; tamen Stephanus definivit rebaptizandos baptizatos ab hæreticis non esse. D. Cyprianus epist. 74. D. Augustin. de baptismo, cap. 2. refert Baronius anno 258. quæ doctrina probata fuit à Gregorio Magno lib. 9. epist. 61. in Synodo Quinifexta can. 95. Concil. Mogun. 4. can. 5. Vormac can. 5. Nec exitus in contrarium adducti obstant, nam procedunt in baptismo collato à Paulianistis, & Cataphrygis, qui non ministrabant baptismum sub debita forma; non enim baptizabant in nomine Trinitatis, quia Christum purum esse hominem credebant, ut referunt Cujacius ad tit. C. ne Sanctum baptisma, Justelus in notis ad can. 19. Concilii Nizæni: quare Ecclesia eorum baptismum non approbavit, ut jam notavit Pamelius in notis ad epist. 73. D. Cypriani num. 27. Hinc expendendus erat difficilis canon 38. Concilii Illiber. in illis verbis: Peregrè navigantes, aut si Ecclesiam proximo non fuerit, posse fidelem, qui lavacrum suum integrum habet, nec sit bigamus, baptizare in necessitate infirmis positum, ita ut si supervixerit; ad Episcopum eum perducatur, ut per manus impositionem perfici possit. Sed ejus veram interpretationem jam adduxi in illius notis.

Sed licet verum sit, tempore necessitatis quemlibet posse ritè, & validè baptismum conferre, servandus est ordo inter eos, inter quos illum conferre intendunt, ut semper inferior cédât superiori, scilicet non baptizatus baptizato, excommunicatus non excommunicato, mulier viro, laicus Clerico, Clericus Sacerdote, Sacerdos Parocho, Parochus Episcopo: docent D. Thomas 3. p. quæst. 64. art. 4. Sotus in 4. dist. 4. quæst. unic. art. 2. Suarez, Vasquez, Hurtado, Ledesma, & alii congesti à Leandro tom. 1. de Sacram. tract. de baptismo, disput. 4. quæst. 6. nisi adit justa causa, quæ postulet ordinem hunc inverti, ut si præsentibus Sacerdote, & laico non possit Sacerdos ministrare ob agridudinem, excommunicationem aut quia nolit nisi pretio dato baptismum conferre; tunc enim laicus præferendus est. Diana p. 5. tract. 9. resol. 87. aut si infans nondum plene editus sit, propter decentiam enim fœmina, non vir debet baptizare. Toletus lib. 2. summa, cap. 20. num. 9. Difficultas tamen est non omittenda in hac parte, an qui inverso ordine se ingerit administrationi baptismi, ut si præsentibus Presbytero, aut Diacono ministraret laicus, aut præsentibus viro fœmina; peccent lethaliter? Et in primo casu, etiam præsentibus Sacerdote laicum baptizantem non peccare secluso contemptu, docent Henricquez lib. 2. summa, cap. 29. Valentia tom. 4. contr. disput. 4. q. 2. punct. 1. peccare tantum, venialiter docuit Petrus de Ledesma de baptismo cap. 6. Sed verius est; peccare lethaliter, etiam si contemptus non sequatur, & Sacerdos præsentibus consentiat, ut tenuerunt Villalobos, Dicastillo, Trullench, & alii, quos refert & sequitur Leander dist. disput. 4. q. 7. alii quos laudat Diana 3. p. tract. 4. resol. 4. Idem in Clerico minoribus ordinibus tantum initiato ministrante præsentibus Diacono resolvunt Vasquez, Egidius, & Nunnò laudati à Leandro supra, q. 8. Sed verius est, tantum venialiter peccare, quia Diaconus ministrat

Inter
ministros
ordo servatur.

non est baptismi ex officio, ut ex præsentis textu constat; & per consequens non erit peccatum le-
thale alium illi præferri. Ita docent plures, quos
referunt, & sequuntur Quintanadvennas de bap-
tismo, singul. 17. num. 5. Diana p. 3. tract. 4. resol. 4.
& part. 5. tract. 3. resol. 18. Idem dicendum est
cum Clericus in minoribus constitutus præsentis
subdiacono, vel fœmina præsentis viro bap-
tismum ministrant; tunc enim tantum peccat venia-
liter, ut resolvunt Quintanadvennas ubi supra, Le-
ander disp. 4. qu. 9.

10.
De mi-
nistro
solenni-
tatis.

Hæc de prima parte hujus commentarii: sequit-
ur secunda de ministro baptismi solenniter
conferendi, videlicet de illo, qui ratione officii, seu
jure ordinario, vel delegationis potest baptismum
non solum validè, verum & solenniter ministrare.
Et primò de illis, quibus ex officio, seu jure pro-
prio competit munus baptizandi, videamus. Et
primò ad Episcopum spectat officium baptizandi,
cap. 1. de religiosis domibus, cap. euntis 41. 16. qu. 1.
cap. 10. Diaconos, dist. 93. D. Clemens lib. 3. constit.
cap. 10. & 11. ibi: Sed nec reliquos baptizare permi-
timus, veluti lectores, cantores, ostiarios, mini-
stros sed solos Episcopos, & Presbyteros. Idem lib.
6. cap. 15. & lib. 7. cap. 40. & 42. D. Ambrosius
lib. 3. de sacram. cap. 1. Tertul. de baptismo. Pro-
bant Ant. Augustin. in epist. lib. 22. tit. 12. Men-
doza lib. 3. Concil. Illiber. cap. 11. Petrus Bollo in
œconom. canonica, class. 2. cap. 24. §. 6. Cæsar de Ec-
clesiast. hierarch. disput. 8. §. 3. num. 13. Sauius
ad Sidonim fol. 432. Aloix ad vitam sancti Aburcii,
cap. 18. Undè Patres regenerantium appellat Ep-
iscopos Prosper Aquitanicus lib. 2. de vit. con-
tempti. cap. 2. Indè etiam Episcopus primis Eccle-
siæ temporibus signabat baptisteria. Concil. Tol-
er. 8. can. 3. & de S. Ambrosio refert D. Paulinus
in ejus vita, tanta corporis animique fortitudine
in Episcopalibus muneribus obeundis ipsum præ-
ditum fuisse, ut quod ipse solus circa baptizandos
cumulatissimè præstabat, postea quinque Episco-
pi post ejus obitum vix implere sufficerent: Epis-
copus enim rectè, & jure ad corpus Ecclesiæ ad-
mittere potest, quia corpori ipsi tanquam caput
præest, cap. omnes 16. quest. 1. Vasquez p. 2. in 3. p.
disput. 147. num. 21. Nec contrarium deduci-
tur ex Apostolo 1. ad Corinth. cap. 1. vers. 17. in illis
verbis: Non misit me Christus baptizare, sed evan-
gelizare. Igitur baptizare non est munus pro-
prium Episcopi, sed aliorum ministrorum infe-
rioris gradus. Nam respondetur D. Paulum ibi
non asserere sibi non licere baptizare, siquidem
in eodem capite, vers. 14. testatur apud Corinth.
se baptizasse Crispum, Cajum, & Stephani do-
mum, undè tantum ait, se missum non esse ad bap-
tizandum, sed ad prædicandum, juxta id quod di-
citur Actuum Apostolorum cap. 9. vers. 15. quia
baptismus per alios administrari poterat, non ve-
rò prædicatio. Docet Saufay in Panop. sacr. p. 2. lib.
5. cap. 2. Secundarius minister, cui ratione pro-
prietatis officii competit baptizare jure ordinario, est
Presbyter, id est Parochus proprius. Quod à
primis Ecclesiæ cunabulis observatum legimus, si-
quidem in canone 50. Apost. ita cavetur: Si quis
Episcopus, vel Presbyter non tria unius baptisma-
tis mysteria perfecerit, deponatur. D. Clemens lib.
3. Constit. cap. 20. ibi: Nec Presbyterum, nec Dia-
conum jubemus ordinari ex laicis Clericis; sed Pres-
byterum tantum decere offerre, & baptizare. Pal-
chafius Episcopus in epist. ad Leonem Papam, ibi:
Cum Presbyter secundum morem baptizandi horam

requireret, &c. latè probat Saufay d. lib. 5. cap. 4.
Sacerdos enim, qui ordinatus est, ad administran-
dam Eucharistiam, par est ut possit Sacramenta ad-
ministrare, per quæ fideles disponuntur ad Eucha-
ristiam ritè suscipiendam, ut post Suarium, Vas-
quez, & alios docet Leander de baptismo disp. 4.
quest. 17.

Sed superiori doctrinæ nonnulla obijci possunt.
Et primò insurgi valet ex eo, nam Christus Domi-
nus, dum instituit ministrum baptismi, simul præ-
cepit prædicare, & baptizare, apud Mattheum
& Joannem locis supra citatis. Sed munus præ-
dicandi tantum Episcopo competit, cap. inter ca-
tera, ubi probavi, de offic. ordin. Ergò illi soli com-
petit ex officio munus baptizandi. Accedunt D.
Hieron. in Dialogo contra Luciferianos, n. 20. dum
ait: Inde venit, ut sine chrismate, & Episcopi jus-
sione Presbyteri, nec Diaconi jus habeant baptizan-
di. Tertullianus de baptismo cap. 17. ibi: Superest
ad concludendam materiam de observatione quo-
que dandi, & accipiendi baptismum commune face-
re: dandi quidem vim habet summus Sacerdos, qui
est Episcopus, deinde Presbyteri, & Diaconi, non
tamen sine Episcopi auctoritate, propter Ecclesiæ ho-
norem. Ergò tantum ex delegatione Episcopi Pres-
byteri possunt solenniter baptismum conferre.
Cui difficultati, ut satisfaciamus dicendum est,
Presbyterum Parochum in propria parochia esse
ministrum legitimum ratione officii Sacramenti
baptismi, & proinde sine speciali licentia Episcopi
posse munus proprium adimplere; imò obstric-
tum esse ex ipso Parochiali titulo ad conferen-
dum baptismum propriis Parochianis: quod mu-
nus exequitur independentè ab Episcopo, ut
probat Barbosa de officio Parochi c. 18. Trullench.
ead. tract. cap. 3. nec quod de munere prædicandi
dicebamus, obstat; nam licet Christus Dominus
simul in junxisset Apostolis munus prædicandi, &
baptizandi, tamen non prohibuit per alios etiam
officium prædicandi, & baptizandi exequi, ut
probavi in d. cap. inter cetera. Nec obstant auctori-
tates D. Hieronymi, & Tertulliani; nam proced-
unt in Presbyteris non Parochis, qui alicui Ec-
clesiæ Parochiali non præsent; illi enim quamvis
vi suæ ordinationis habeant potestatem confe-
rendi baptismum, tamen ex defectu subditorum
illam potestatem licitè ex usare non valent absque
delegatione proprii Parochi. Trullench ubi su-
pra, num. 3. Undè si sacerdos, qui Parochus pro-
prie non est, solenniter baptismum administrat,
peccat lethaliter, Irregularitatem autem ullam
non incurrit, quia in jure expressa non est, ut do-
cet Barbosa, & Trullench. ubi supra. Nec etiam
Parochus alienus potest solenniter alienum Paro-
chianum baptizare, quia nemo debet alterius Pa-
rochiæ subditos usurpare, aut propriæ terminos
egredi, cap. placuit 7. q. 1. cap. sicut 9. q. 2. cap. 1. c.
nullus, cum sequent. 13. q. 1. c. nullus, de parochiis.
Sed adhuc insurgi potest sequenti juris considera-
tione; nam si munus baptizandi esset actus justifi-
cationis, baptismus collatus alieno Parochiano
nullus esset, sicut nulla est absolutio peccatorum
alieno Parochiano facta: ergo aut quilibet Pres-
byter, etsi Parochianus non habeat, est minister
ordinarius baptismi, aut baptismus ab eo collatus
nullus est. Accedit, nam D. Clemens lib. 3. constit.
cap. 11. asserit non omnibus Clericis baptizandi
potestatem esse, sed tantum Episcopis, & Presby-
teris. Et D. Isidorus relatus in cap. constat, de con-
secr. dist. 4. affirmat baptismum à solis Sacerdotibus
esse

11.
Displ.
venerunt
quodam
dispen-
tati.

12.
De mi-
nistro
delega-
tione.

13.
Expens-
dantur
nonnul-
li.

esse tractandum. Ergo omnes Presbyteri sunt ministri ordinarii hujus Sacramenti. Cui difficultati ut satisfaciamus assignanda est discriminis ratio; quare videlicet baptismus injustè alieno Parochiano collatus effectum habeat, absolutio verò neutriquam. Et differentie ratio in eo consistit, nam absolutio est actus jurisdictionis in peccatorem, cum sit quaedam sententia; ac proinde si Sacerdos jurisdictionem non habeat in ipsum, non erit valida absolutio. Trident. *sess. 14. cap. 7.* ac verò baptizare non est actus jurisdictionis determinatè in baptizandum, siquidè minister baptismi nullà jurisdictionem habet in catechumenum, sed in reliquos fideles baptizatos, de quorum numero fit ipse, qui baptizatur; & sic est actus jurisdictionis, qui validè à non habente eam exercetur. Nec obstant D. Clemens, & Divus Ilidorus, ita enim accipiendi sunt, non ut doceant omnino Presbyteris ex sola sua ordinatione absque alia delegatione baptizare licere, sed quia ex sua consecratione apti sunt, ut eis munus baptizandi solenniter delegari possit: quam doctrinam probare videtur Concil. Florentinum *sess. ultim. s. 1.* dum docet, Sacerdotes esse ministros Sacramenti baptismi cum hac restrictione, quibus ex officio competit baptizare: quia non cuiusque competit baptizare, sed quilibet Sacerdos est capax ut officium baptizandi solenniter illis committatur: quo modo accipiendus est D. Thomas 3. p. qu. 67. art. 2. dum docet munus baptizandi Sacerdotibus competere, ut docuit Sylvester in *summa, verbo Baptismus, num. 9.*

12.
De ministro ex delegatione.

Alii etiam possunt solenniter ministrare baptismum, licet non ratione proprii officii, sed virtute delegationis, seu commissionis, ut Diaconi: licet enim illi jure proprio baptizare nequeant, D. Clemens *lib. 8. constit. cap. 28.* ibi: *Diaconus non baptizat, non offert.* Et *cap. 46. Ius non est diacono, aut sacrificium offerre, aut baptizare.* Et *cap. Diaconos, cap. presente, 93. dist. cap. constat, de consecr. distin. 4.* docent Layman *tom. 2. mor. tract. 2. de baptismo, cap. 6. num. 2.* plures relati à Leandro de baptismo *disput. 4. q. 22.* tamen ex commissione Episcopi, seu Parochi baptizare possunt. Concil. Florent. *ubi proxime:* undè cognoscitur magnum discrimen, quod versatur inter Diaconum, Subdiaconum, & ceteros ministros inferioris gradus; nam Diaconus potest ex commissione solenniter baptizare, Subdiaconus verò, & ceteri tantum possunt in casu necessitatis, ut etiam possunt laici baptismum administrare. Docent Saufay in *Panopl. sacerdot. 2. p. lib. 5. cap. 6.* Similiter Religiosi possunt solenniter baptizare ex commissione Episcopi, vel Parochi, *cap. placuit 16. qu. 1.* Leander *d. disput. 4. de baptismo, q. 18.* In partibus tamen Indiarum absque ulla commissione, ex concessione Pauli III. & Pii V. solenniter baptismum conferri ab eis probat Valeus in *summa, verbo Baptismus 3. num. 14.*

13.
Expensæ duntaxat nominatim.

Sed hæc doctrina difficilis redditur ex sequentibus juris principiis. Primò ex eo, nam Diaconi, etsi non consecrari, administrare tamen valent Eucharistiam. D. Clemens *lib. 8. constit. cap. 28. cap. Diaconus, cap. pervenit, 93. dist.* Concil. Carthag. *4. can. 38. cap. tribus 23. de consecr. distin. 2.* probavi in *cap. sane, de celebrat. Missar.* Ergo ratione proprii ordinis possunt baptismum conferre. Secundò quia Diaconi pœnitentiam dare possunt, *cap. fures 2. de furtis, ibi: Confessi fuerint Presbytero, vel Diacono.* Ergo facilius & bap-

tismum. Tertiò refragatur auctoritas Pontificalis D. Gregorii, ubi asseritur, quod quando Episcopus ordinat Diaconos, antequam actionem incipiat, sic eos alloquitur: *Provehens filii dilectissimi ad Leviticum ordinem, cogitare magnopere ad quantum gradum Ecclesie ascendis: Diaconum enim oportet ministrare ad altare, baptizare, predicare, &c.* Ergo ratione proprii gradus spectat ad Diaconum munus baptizandi. Quartò obstat Concil. Aurelian. celebratum anno 511. *can. 12.* in illis verbis: *Si Diaconus, aut Presbyter pro reatu suo se ab altaris communione sub pœnitentis communione submoverit, sic quoque si alii defuerint, & causa certa necessitatis exoritur, postentè baptismum liceat eis baptizare.* Ergo si Diacono criminoso, & pœnitenti licet baptismum conferre, multò magis Diacono innocenti. Tandem obstat canon 7. qui extat inter canones missos ad Episcopos Gallie, ut reperitur *10. 1. Concilior. Gallie, pag. 589.* & apud Andream Saufay in *Panopl. sacerdot. lib. 2. cap. 6. p. 2.* in hæc verba: *Diaconis baptizare extra tempus Pasche prohibetur: porro in Pascha hoc tantum indulgetur propter affluentem multitudinem, quam solus Episcopus, vel Presbyteri baptizare non sufficiebant.*

14.
Expensæ canonicæ admodum.

Sed adhuc defendenda est supra tradita doctrina, juxta quam in præsentis capite, docetur, diaconum baptizantem irregularem manere, cum illi munus baptizandi non competat; si enim Sacerdotes, qui ratione proprii gradus habent potestatem in habitu baptizandi non possunt baptismum solenniter conferre, nisi sint Parochi, aut de Parochi licentia, ut supra probavi: Ergo minus id poterunt Diaconi, qui ex vi suæ ordinationis idonei non sunt, ut in pastores eligantur. Nec contrarium probant argumenta supra expensa. Non primum, nam licet verum sit, primis Ecclesie temporibus Diaconos Eucharistiam fidelibus laicis ministrasse, id tamen non vi propriæ ordinationis, sed ex delegatione Episcoporum. & Parochorum illis absentibus faciebant, & tempore procedente hæc facultas illis abrogata fuit, licet diu dum in usu erat communio sub utraque specie, retinerent potestatem ministrandi Eucharistiam sub specie sanguinis: qui cum in calice ministraretur, necesse non erat ut à Diacono immediatè manibus tangeretur, ut procedebat in corpore Christi Domini, ut docuit Azor *tom. 1. moral. lib. 10. cap. 23.* Nec secunda difficultas obstat, non enim unquam in Ecclesia Diaconi potuerunt pœnitentiæ Sacramentum administrare, sed tantum eos, qui pœnitentiæ solennis gradus expleverant, ex delegatione Episcopi reconciliare, ut probat Mendoza *lib. 2. Concil. Illiber. cap. 65.* Albaspineus *lib. 2. observ. cap. 27.* quæ non erat absolutio Sacramentalis, & sic à Diacono dari poterat, ut probavi in *d. cap. 2. de furtis.* Nec obstat auctoritas libri Pontificalis, nam accipiendus est B. Gregorius de potestate Diaconi baptizandi ex commissione, & delegatione Episcopi, juxta textum in *cap. Diaconos, 93. dist.* non tamen ut virtute proprii gradus possint solenniter baptizare. Ita auctoritatem illam exposuit Sotus in *4. dist. 4. q. unic. art. 1. quem sequitur Vasquez d. 3. p. in 3. p. disp. 147. cap. 4. n. 22.* & rectè ex relatis Pontificalis verbis infert Sotus, deduci Diaconos ex vi suæ ordinationis aliquid amplius habere, quam laicos, siquidem non solum tempore necessitatis, verum extrà illud virtute delegationis possunt illi baptismum conferre. Nec obstat Concil. Aurelian. loquuntur enim Patres in casu, quo ad est necessitas, tunc enim licet Diaconis, sicut aliis inferioribus.

inferioribus Ecclesie ministris Baptismum propria auctoritate conferre absque ulla delegatione. Nec tandem Canon Ecclesie Gallicane adversatur, nam procedit eum Diaconi ex delegatione Episcopi Baptismum conferunt, ita ut in subdium, cum deficiunt Episcopus, & Parochus, eorum delegatione Diaconi Baptismum administrare possint: excepto autem eo casu, non possunt solenniter baptizare; unde post relata verba illius canonis statim ea sequuntur: *Sed quod semel forte contingit usurpare, per necessitatem dicuntur excusati; nec postea in secunda commissum manet impune*, ut docuit Sausay d. lib. 5. cap. 5.

15. Sed adhuc supra traditis obstat difficilis, nec vulgaris textus in Canone 77. Concilii Illiber. in illis verbis: *Si quis Diaconus regens plebem sine Episcopo, vel Presbytero aliquos baptizaverit, Episcopus per benedictionem eos perficere debetis: quod Illiber. si ante de seculo recesserint, sub fide qua quis creditur, poterit esse iustus*. Ex quibus expresse constat: Diaconum absque Episcopo, vel Presbytero posse baptismum conferre. Ergo quia Diaconi ratione proprii gradus sunt ministri ordinarii huius Sacramenti. Etiam difficilis est Canon ille, cum in eo docetur, Baptismum a Diacono collatum esse perficiendum ab Episcopo, & ita baptizatum antea decedentem salvari posse virtute fidei quam habuit. Ergo non ratione Sacramenti, & per consequens baptismus a Diacono collatus invalidus fuit. Pro cuius canonis vera expositione sciendum est, Diaconos primis Ecclesie temporibus, non solum propositos fuisse curam alendorum pauperum. D. Gregorius lib. 9. epist. 24. verum & ordinatos fuisse, ut legerent in Ecclesia Evangelium, predicarent, & altari ministrarent D. Gregor. lib. 4. epist. 44. ibi: *In Diaconatus ordine constituti modulationi vocis non inserviant, quod ad predicationis officium, elemosinarumque studium vacare cogebat. Qui*

non solum postmodum parem cum Presbyteris usurparunt auctoritatem, verum illis, imò & Episcopis anteferri intendebant, cap. Diaconos, cap. per venit, cap. nonnulli, 93. dist. ad eum Episcopos continententes altaria sibi erigerent, & populum privatim regerent, d. c. diaconos Syuodus Antiochen. can. 5 referunt & probant Claudius Espenceus ad epist. D. Pauli, lib. 1. digress. cap. 5. Pamelius in notis ad D. Cyprianum, epist. 65. Zerde in advers. cap. 94. Ambian. ad Terul. de fuga, cap. 11. observ. 2. Cironius ad titul. de officio Archid. quam audaciam ut retunderent, refrrenarentque Ecclesie Patres, diversis in Conciliis varia statuerunt, ut constat ex integra 93. distinctione, & ex variis canonibus congestis ab Antonio Aug. in epist. jur. lib. 7. tit. 2. & 8. & lib. 6. tit. 24. Unde Patres Hispani in dicto canone 77. statuerunt, quod si Diaconus regeret populum, & sine commissione Episcopi, aut Presbyteri ibi aliquos baptizaverit, Episcopus eos perficiat per Sacramentum confirmationis; nam hoc Sacramentum dicitur perfectio christianitatis, cap. 1. de consecr. dist. 5. & quia olim confirmatio statim administrabatur, nec separari debebat baptismus a confirmatione, nisi morte quis fuisset praeventus, Melchides Pontifex epist. 2. ad Episcopos Hispan. ubi de his Sacramentis ita ait: *Sed ita conjuncta sunt haec duo Sacramenta, ut ad invicem, nisi morte praeviente, nullatenus possent segregari*: haesitabatur, an ita a Diacono baptizatus, si sine Confirmatione decessisset, salvaretur. Et respondent Patres, sub fide, id est per fidem, quam in baptismo adeptus fuerat, justum esse, id est salvari; unde deducitur, baptismum a Diacono collatum, licet non rite, validum fuisse: non tamen asserunt Patres, licet collatum fuisse a Diacono populum regente. Alia adduxi pro ipsius canonis interpretatione in ejus notis.

CAPUT II.

Urbanus III. ^a Legionensi Episcopo.

EX literis tuae Fraternalitatis nobis innotuit, quod I. Diaconus praesentium lator volens ante ^b tempus in Presbyterum ordinari, asseruit se propter ordinationem tuam gradum sacerdotalem adeptum; & cum non imposuisset ei ^c manum, Missarum celebrationem usurpavit; postmodum vero Domino inspirante rediit ad seipsum; & proprium recognoscens excessum, in tanto sibi periculo consilium humiliter postulavit. Quia igitur super hoc tua nos duxit fraternitas consulendos, literis praesentibus respondemus, quod ad Sacerdotis officium non poterit promoveri a Diaconatu quoque biennio, aut triennio pro tua maneat provisione a suspensus. De beneficio autem misericorditer agatur, ne sustentatione privatus, ad saeculi negotium revertatur: ut autem securius ei possis hanc misericordiam facere, de agenda imposta poenitentia diligenter circa eum curam non definas exhibere. Salubrius autem sibi absque dubio providebit, si ad regularem vitam se duxerit transferendum.

NOTÆ.

1. a [Legionensi.] Ita etiam legitur in prima collectione, sub hoc tit. cap. 2. & post Concil. Lateran. p. 150. cap. 62. De Legionensi Diaconatu nonnulla notavi in c. 6. de in integr. restit.

b Ante tempus.] Id est ante aetatem ad Presbyteratum necessariam, de qua egi in c. vel non est, de aet. & qual. vel antequam tempus interstitiorum esset adimpletum, de quo egi in c. 15. de tempor. ord.

c Manum.] Quae imponitur Presbyteris; nam Diaconis non imponitur manus: quare in praesenti agitur de manus impositione Presbyteri, ut probavi in cap. 1. de Sacramentis non iterandis.

d Suspensus.] Unde cognoscitur, irregularitatem hanc, quae incurritur ex celebratione, seu administratione in gradu non suscepto, esse partialem quoad ordines superiores, non vero quoad ordines jam susceptos, ut docuerunt Suarez de censur. disp. 42. sect. 4. num. 2. Gibalin. ubi supra.

COMMENTARIUM.

Valdenses, Wicleffus, & Luterus, quorum errores suscitavit Salmalius, existimantur omnes laicos sacerdotes esse, ac proinde & consecrare Eucharistiam, ac divina officia celebrare omnes posse, ut referunt eos refellentes Bellarminus *tom. 2. contr. lib. 4. de Eucharistia, cap. 16.* Cæsar de Ecclesiæ Hierarch. *disp. 3. §. 3.* P. Petavius de Ecclesiastica Hierarch. *lib. 3. per totum.* Sed contrarium catholicum dogma est, videlicet tantum sacerdotes posse validè Missæ sacrificium offerre, & corpus Domini conficere: quod ex Patribus docuerunt Clemens *lib. 2. const.* Augustinus *q. 46. veteris Testamenti*, Epiphanius *heresi 79.* Chryostomus *homil. 51. in Mattheum*, Basilius *lib. 2. de baptismo*, Athanasius *in apolog. contra Arianum*, Dionysius de Ecclesiastica Hierarch. per plura capita, & probatur tum auctoritatibus utriusque Testamenti, tum ratione. Veteris testamenti auctoritate probatur ex libro 2. Paralip. *cap. 26.* ubi Ozias Rex leprâ percussus est à D^o, eo quod cum non esset sacerdos incensum adolere præsumeret, & propter eandem rationem referentis dicitur Saul à Samuele *lib. 1. Regum, cap. 13.* quia cum non esset ex tribu Levi, sacrificium offerre ausus fuit. Etiam probatur ex testimoniis novi Testamenti, *ex cap. 22. Luca*, ubi Christus Dominus solis Apostolus, & eorum successoribus dedit hanc consecrandi potestatem illis verbis: *Hoc facite in meam commemorationem.* Ergo soli sacerdotes possunt offerre Missæ sacrificium. Quæ Catholica doctrina definita reperitur in Concil. Nicæno & Arelat. *1. can. 10.* Florent. in decreto de union. Armen. *Trid. sess. 22. cap. 1.* & probatur ea ratione, nam si in lege veteri ordinabantur sacerdotes ad sacrificia offerenda, quæ præfigurabant verum sacrificiū legis gratiæ, multò magis in lege nova debent esse alii proprii, & peculiare ministerii hujus sacrificii. Deinde quia sacrificium, & sacerdos sunt correlativa: sed Christus Dominus in lege gratiæ instituit novum sacrificium: igitur & proprium, & peculiare ministerium instituere debuit. Latius prosequuntur Bellarminus *ubi supra.* Vazquez *3. part. in 3. part. disp. 226. cap. 1.* Suarez in eandem partem *disp. 77.* Zorda in relect. de sacerdotio Christi, *lib. 1. cap. 1. §. hac sum:* fuscè Saufay in *Panopliæ sacerdot. & scribentes de Eucharistia*, & sacrificio Missæ. Unde alii quam presbyteri nequeunt Missæ sacrificium offerre. Concil. Nicæni. *can. 18.* ibi: *Per venit ad sanctam Synodum, quod in nonnullis locis, & civitatibus diaconi dant presbyteris Eucharistiam, quod nec canon, nec consuetudo tradit, ut qui offerendi potestatem non habent, eis, qui offerunt, dent corpus Christi.* Et *can. 3. Apost.* Unde graviter peccant qui se ingerunt huic, & aliis ministeriis sacerdotum, dum ordinati non sunt. Sanct. Dionysius de Ecclesiastica Hierarch. *ibi:* *At mihi quidem videtur audax, & temerarius, si quis ea sumat, quæ propria sunt sacerdotum, nec metu, ac pudore à divinatorum translatione præter captum, ac mentem deterretur.* Unde variis pœnis punitur. Gregorius III. in suo pœnitentiæ, *cap. 10.* inter quas ea non levis est, ut maneat irregularis. Probat Petrus Gregor. *lib. 1. part. tit. 13. cap. 7. & lib. 4. tit. 4. cap. 2.* Gibalin. de irregul. *cap. 5. 2. part.* Ut autem clericus fiat irregularis exercendo gradum ordinis, quem non habet, opus est ut ministerium externum fiat ferio, non autem fictè, ac simulatè: quod si inten-

tio sit vera exequendi externam actionem, contrahitur irregularitas, tamen si non sit intentio conficiendi sacramentum; nec enim potest deesse intentio ferri conficiendi sacramentum in eo, qui cognoscit se carere potestate. Suarez de censur. *disp. 42. sect. 4. num. 17.* Marchinus de ordine *part. 6. cap. 4. num. 6.* Amplius celebrantes sacrificium Missæ, cum non sint in presbyteros ordinati, vel audientes confessionem sacramentaliter, puniuntur ab Inquisitoribus hæreticæ pravitatis, ex bullis Gregorii XIII. Clement. VIII. & Urbani VIII. quarum meminerunt Majolus de irregul. *lib. 4. c. 13.* Hieronymus Garcia *tom. 2. polit. regul. tract. 10. diff. cul. 4. dub. 4. §. 5.* Diana *part. 4. tract. 7. resol. 12.* Thomas Delbene *part. 2. de officio Inquisit. dub. 210.* Et licet in Italia similes celebrantes tradantur brachio sæculari puniendi; tamen in Tribunalibus Hispaniæ mitius puniuntur: nam si clerici laici sunt, abjurant de levi, publicè in Ecclesia fustibus cæduntur, & ad trirèmes damnantur: si religiosi sunt, abjurant de levi privatum, & ad trirèmes mittuntur, nisi apti non sint ad serviendum in eis, quia tunc detruduntur in aliquo monasterio sui Ordinis ad pœnitentiam peragendam, denegatâ facultate in perpetuum ascendendi ad majores ordines. Videndi sunt Farinacius de hæresi *quest. 193. num. 39.* Sanctarellus *cod. tract. quest. 42.* Barbosa de potestate Episcopi, *alleg. 110. num. 19.* Scortia in select. Pontif. *constit. epist. 162. theorem. 402.* Castropalao *p. 1. oper. mor. tract. 4. punct. 16. disput. 8. §. 9.* Carena de officio Inquisit. *part. 2. tit. 11. per tot.*

Sed antequam hinc abeamus, exponendus est difficultis canon. 2. Concilii Ancyran. relatus in *Expositur cap. 1.* in illis verbis: *Diaconos similiter, qui sacrificarunt, postea autem reluctati sunt, illum quidem honorem habere oportet, ipsos autem ab omni sacerdotali ministerio cessare, ita ut panem vel calicem offerant, vel predicent.* Ex quibus expressè deducitur, diaconos munia sacerdotalia obire posse; & quod præcipuum est, panem & calicem offerre. Pro cuius canonis expositione sciendum adesse, nam pro illis verbis, *sacerdotali ministerio*, vertendū est à *sacro ministerio* i.e. enim λέιτρον γίαις, munus non tantum sacerdotale, aut presbyterale significat, sed sacrum quodlibet officium, quod à sacris ministris, seu majorum ordinum clericis peragitur. Præterea loco verbi *offerendi*, legendum est *deferendi*; siquidem proprium munus diaconorum est calicem, & patenam deferre, *cap. clericos. 21. dist. cap. diaconi, 93. dist. & diaconi non possunt panem, vel vinum offerre, imò si illud ausi sint facere, sacris canonibus in eos est animadvertum.* Concil. Arelat. *1. can. 13.* Laodic. *can. 25.* Agathense *can. 43.* Aquisgran. *can. 78.* ibi: *Quod non oportet subdiaconos panem dare, vel calicem benedicere; ubi reponendum est, diaconos.* Quamquam enim id officium exercere subdiaconis non liceat, ad eos tamen hæc prohibitio non spectat, cum eam temerassè nunquā commemorentur. Deinde desumitur hic canon ex Concilio Laodic. canone citato, qui de diaconis loquitur, ut notavit Morinus *lib. 2. exercit. cap. 12.* Sensus ergo dicti canonis secundi est, diaconos qui sacrificarunt, honorem quidem gradus retinere, sed ab omni sacro ministerio cessare, nec panem, vel calicem ad altare deferre posse.